Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3153
Quelle:
Copyright:

DCCCCXII.

858 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 24. 12. eleganter ſcriptus et auro coloribusque illuſtratus Precatorius eſt, in quo primo *Incipit officium beate marie virginis quod dicitur per totum aduentum*, ſequuntur *Pſalmi* dicti *de Poenitentia* initio truncati, et compactoris vitio turbati, cum *Litaniis OO. SS.* In Precibus ad has ſubſequis legas: *Oremus pro miniſtro noſtro*, item: *miſerere famulo tuo miniſtro noſtro N.* nulla Principum facta mentione, unde credibile, *Codicem* hunc olim in *Belgis* exaratum fuiſſe. Confer *Codd.* DCCCLXXXI. LXXXVI.

DCCCCXIII.

862 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 201. 12. bene exaratus, minio et literis auratis, picturatisque initiorum diſtinctus, Precatorius eſt, et ſequentia complectitur: *Incipit curſus de paſſione domini.* Sequitur: *Curſus de corpore chriſti*, et hic quidem cum duplicibus *Veſperis*; non enim *Curſus* iſti ad modum eorum, quae hodie paſſim *Officia* vocantur, compoſiti ſunt, ſed formam habent prolixioris Officii eccleſiaſtici, prout in choro canitur, et in ſic dictis Sacerdotum *Breviariis* continetur.

DCCCCXIV.

868 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 158. 12. minutius ſed nitide exaratus, Frontiſpiciis quibusdam florulentis, Literisque initiorum picturatis et auratis decorus, Precatorius eſt, continetque *Curſum de Beata maria virgine*, VII. *Pſalmos* Poenitentiae, *Vigilias Mortuorum*, *Orationes* varias *de Domina*, id eſt, B. V. Maria, *Curſum de paſſione domini*, *Preces*que pro diverſis opportunitatibus.

DCCCCXV.

Codex membraneus lat. Sec. 691
XVI. ineuntis Folior. nunc 245. 4. bene perſcriptus, praeter Initiorum literas, et oras foliorum amoeniſſime depictas oſtentans inſuper Picturas grandes XX. elegantis penicilli, quondam quadriennis *Leopoldi Ignatii* Archid. dein Rom. Imp. ut anterior theca fidem facit 1644. cui ipſe parvulus ſcripturae tiro rudi manu adjecit: *Erzherzogk leobolld*, diverſa Pietatis Exercitia continet curata in uſum *Jacobi IV. Scotiae* Regis, qui a. 1513. in praelio adverſus *Henricum VIII. Anglum* cecidit, et *Margaretae* Conjugis ſuae ejusdem *Henrici* Sororis, ut e dicendis patebit. Initium more ſolito ducitur a *Calendario* mirifice Sanctorum Icunculis exornato. *Fol.* 14. p. 2. Infignia Regni *Scotiae* comparent adſtitutis Monocerotibus, torque Ordinis Cardui (*the Order of the Thiſtle*) circumflua, Symbolo Regis: *In my Defens*, et Reginae: *God us defend* inſcripta. Viſuntur etiam Literae I. et M. connexae, videlicet